



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XVII. Si tibi absenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

SUMMARIUM.

1. Neque collationis beneficii nomine in stricta significatione venit institutio.
2. Neque sub certo modo providendi de beneficiis expresso, veniunt alij etiam modi non expressi.

Notandum primò, Beneficij collatio, si strictè accipiatur, differt ab institutione; nam collatio liberè fieri solet, institutio verò præcedente præsentatione ex quadam necessitate, si præsentatus idoneus sit. Electus verò dicitur confirmationem accipere à Superiore, prout docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 1.* At verò nomen provisionis, seu ordinationis est nomen generale, comprehendens collationem, institutionem, & confirmationem; quamvis in materia stricta non censetur comprehendere electiva, seu confirmationem electorum, prout *Gl. tradit §. præcedente v. electionem. Ibidem Franc. n. 7.*

2. Notandum secundò, Si in literis beneficiis unus modus providendi exprimitur, alij modi exclusi censentur; idem quoque sentiendum de omni mandato, seu commissione, quòd casus in ea expressus diligenter attendendus, & ad alios casus propter similitudinem, aut majoritatem rationis extendendus non sit, *c. cui de non 27. infra hoc tit. c. susceptum 6. ubi id docui in not. unico de rescriptis in 6.*

§. Si verò.

Neque potest provideri de beneficio pertinente ad collationem plurium, si Papa mandet, ut provideatur tali de beneficio ad collationem unius pertinente, & vice versa, nisi clausula addita sit *communiter vel divisim.*

Si Papa mandet provideri de beneficio pertinente ad collationem, vel præsentationem aliquorum, non potest provideri beneficium pertinens ad collationem, aut præsentationem unius tantum, nisi adjecta sit clausula *communiter vel divisim*; & vice versa, si Papa mandet provideri de beneficio

pertinente ad collationem unius, v. g. Episcopi, non potest provideri beneficium, cuius collatio ad eum unà cum alio spectat. Ratio prioris partis est, quia à pluribus conjunctim, non licet descendere ad singulos, nisi addatur *conjunctim, vel divisim. c. ult. infra hoc tit.* Ratio posterioris est, tum quia rescriptum beneficiale non debet extendi, ut plures gravet, quàm expressum sit; tum quia, quod ad plures pertinet, id propriè non est singulorum. Qua de re DD. nominatim *Bart. in L. servi electione §. 1. ff. de legatis. 1.* ubi aptè distinguit, quod est commune pluribus, tanquam universis, seu universitati, id singulorum dici non potest; quod autem commune est pluribus, ut singulis, id singulorum dici potest, sed non verè ac propriè, cum singuli de re, saltem tota, arbitrato suo disponere non possint, prout notavit *Gl. in reg. 11. ff. Franc. hic n. 3.*

CAPITULUM XVII.

Si tibi absenti.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus tuus tibi absenti Ecclesiasticum beneficium conferat, tamen per ejusmodi collationem, donec eam acceptaris, jus in beneficio non acquiras, ut tuum dici possit, tamen Episcopus, vel quicumque alius, idem beneficium alteri conferre, aut providere non potest, nisi tu acceptare recusaveris; adeò ut si alteri conferatur, aut alius instituatur, provisio, seu ordinatio irrita sit. Potest tamen Episcopus temporis terminum tibi præfinire, intra quem voluntatem tuam declarare debeas, eoque elapso, si non consenseris, alteri, cui ipse putaverit, liberè conferre; ceterum priusquam conferat, etiam post lapsum terminum consensum addere non prohiberis, ita, ut ex eo tempore dati consensus Episcopus collationem alteri facere non possit.

SUMMARIUM.

1. Conferri quidem potest absenti & ignoranti beneficium, neque tamen acquiritur

ritur illi, donec acceptaverit, aut ratum habuerit.

2. Ampliatur doctrina hæc quatuor modis: & declaratur circa collationem motu proprio factam, aut ad instantiam.
3. Non potest tamen revocare dispensationem ex debito Ecclesiastica potestatis factam, donec alter, cui collatio absenti facta est, consentire noluerit.
4. In beneficiorum provisionibus solus consensus sufficit ad acquirendum jus in re, seu quasi dominium beneficii.
5. Ita ut Beneficiarius post collationem acceptatam, & ante possessionis apprehensionem, possit suum dicere beneficium.
6. Actui ex alterius voluntate pendenti, si jus non statuat acceptandi tempus, potest terminus ab homine præfigi.

Notandum primò. Absenti & ignoranti beneficium conferri potest, sed non acquiritur ipsi, donec acceptaverit, vel ratum habuerit.

Ampliari debet primò. Quòd idem dicendum sit de quacunq; donatione. L. absentis 10. ff. de donation.

Secundò. Quòd idem sentiendum de quacunq; gratia, seu beneficio Principis; quòd non proficit datum absenti, donec sciverit, & acceptaverit. *l. 1. §. ex part. juncto §. finali. de concessione præbende in 6. L. qui absenti 38. ff. de acquirenda possessione. auhent. Quibus modis naturales efficiuntur sui. §. illud autem. versu generaliter coll. 7. & docet Abb. in c. 2. n. 7. Felin. n. 7. de constitutionib. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 36.* Idque rationi valde congruum est, ne alioquin invito beneficium detur, contra regulam 69. ff. Intelligi tamen debet hæc doctrina de privilegio per scriptum particulare concessio, non autem de privilegio dato per legem generalem, hoc enim inlatur aliarum legum ipsa promulgatione vim suam accipere censetur, secundum Bart. in L. omnes populi n. 38. ff. de just. iura & jure, quem sequitur Menochius

in arbitrarijs casu 185. n. 46. Suar. lib. 8. de leg. c. ult. & n. 5. contra Panormitan. Abb. cit. loco, Decium. ibidem in 1. lectione n. 44. Veruntamen quoad pœnam incurrendam, lege decretam, notitia ejus requiritur, prout docui lib. 1. tract. 4. c. 20. n. 1.

Tertiò. Ampliari debet, ut locum etiam habeat in jurisdictione demandata, cujus exercitium nullam vim habere potest, nisi iudex sciverit, & consenserit, secundum Bart. communiter receptum in L. Barbarius relectione 2. n. 14. de constitutionibus, ubi dicit, non valere processum, si iudex erret in fundamento jurisdictionis, quia nescit eam sibi competere, argum. L. hæc autem §. §. non defendi ff. ex quibus causis in possessionem eatur.

Quartò. Ut locum habeat in licentiâ concessâ sacerdoti ad assistendum matrimonio; quòd ejus exercitium, seu usus non valeat, donec concessio seu licentia data innotescat ei, cui facta est, prout docet Sanchez cit. disp. 36. n. 8.

Limitanda seu potiùs declaranda est doctrina hujus notandi, ut intelligatur, si aliquis proprio motu beneficium Ecclesiasticum conferat, gratiam, donationem, aut licentiam tribuat. Sin autem ad instantiam, seu præcedente petitione, tunc ipsa Superioris, seu ejus, à quo petitur, concessione perficitur, prout dixi in c. dilectus 24. q. 1. hoc tit. Neque refert, utrum aliquis beneficium, vel gratiam per se ipsum, an per alium, v. g. nuncium ad id destinatum, vel per procuratorem; dummodo is specialis sit, seu ad hoc ipsum v. g. beneficium petendum, & acceptandū saltem in genere, seu indeterminate, videlicet, cum aliquod vacaverit, vel cum se occasio obtulerit, acceptandum, commissionem habeat, petiverit, & acceptaverit, prout hic Gl. tradit v. habueris & explicat Franc. n. 8. Sin autem procurator generalis, negotiorum gestor, aut amicus pro altero id ignorante acceptarit, tunc opus est, ut ille ratum habeat. Vide, quæ docui in cit. c. n. 10.

T

Notan-

3 Notandum secundò. Speciale hoc est in beneficijs Ecclesiasticis, dispensationibus, & similibus gratijs, quæ ex debito Ecclesiasticæ potestatis officio procedunt, quòd, cum semel concessæ alicui sunt, per declaratam voluntatem ejus, vel eorum, ad quos talis potestas pertinet, revocari non possit, sed expectari debeat, an is, cui concessio facta, consentire velit, sicuti notavit hic *Anchoran. col. 1. & docui lib. 3. tract. 4. c. 1. n. 6.* alioquin verò donationes, per expressum consensum donatoris obligationem, aut vim aliquam non sortiuntur, sed revocari possunt, donec donatarius sciens acceptaverit, sicuti latius explicavi *tit. o. l. n. 5.* Adde, quòd collator ne quidem sub conditione, si Titius, cui collatio facta, non acceptaverit, alteri conferre possit, sicuti *Gl. hic monet v. personam ex c. 2. de electione in 6. & Regula 50. in 6.*

4 Notandum tertio. Licet in alijs rebus non solus consensus sufficiat ad acquirendum dominium earum, nisi insuper apprehensio accedat *L. traditionib. 20. c. de pactis.* tamen in beneficiorum provisionibus sola acceptatione, seu consensu expresso voluntatis acquiritur jus in re, & quasi dominium, prout docui *lib. 3. tract. 1. c. 5. n. 7.* & tradit *Anchoran. hic col. 1.* quòd facilius in istis juribus spiritualibus acquiritur jus in re, quàm in rebus corporalibus.

5 Notandum quartò. Beneficiarius cum primùm sibi beneficium collatum acceptavit, etiam ante possessionis apprehensionem, potest illud dicere suum, cum habeat jus in eo, & illud vindicare possit à possessore, aut detentore, atque pro juribus ejus agere: propriè autem dominus beneficii non est, tum quia spiritualium jurium non est propriè dominium, sed quasi dominium, tum quia hoc ipsum jus, seu quasi dominium tituli, ultra vitam ipsi concessum non est, & ideo non est jus proprietatis, quod ad successores transmittitur; quare si beneficium Prælatuæ, aut dignitati incorporatum sit, tunc majus & solidius jus dominij,

& quasi proprietatis cujusdam Prælati, ratione prælatuæ in eo obtinet.

Notandum quintò. Si actus pendeat ex voluntate alterius, & lex non statuat tempus ad consensum, vel dissensum declarandum (sicuti electo statuitur mensis ad electionem ipsi iuramentum acceptandam, vel respuendam *c. quam sit 6. de electione in 6.*) tunc terminus ab homine præfigi potest; verumtamen si res adhuc integra sit, & Superior voluntatem non revocaverit, etiam post terminum elapsum acceptari potest beneficium, vel similis gratia, uti hic dicitur, & notat *Dominicus col. 1. Francus not. ult. Vide Gl. in Clement. v. infra mensem. de concessione præbenda.*

CAPITVLVM XVIII.

Eum qui.

PARAPHRASIS.

Si quis beneficium, cui cura Animarum incumbit, vi occupat, seu scienter se injustè intrudit, ipso jure privatus est beneficio curato, si quod prius obtinebat, quia non decet, ut stultus melioris, quàm perius conditionis existat; vel ut invalere eo, qui justè ingreditur, privilegio ampliore gaudeat; insuper violenti, qui propria auctoritate, seu potius temeritate dignitates, personatus, aut alia quæcunque beneficia occupare non verentur, eò ipsò jus, si quod in tali modo occupatis dignitatibus, personatibus, aut beneficijs habent, vel ad ea ipsis competit, amittere debent, ut si non virtutis amore, saltè pænæ formidine à suæ temeritatis audacià refrænentur. Ita Bonifacius VIII. hic.

SUMMARIUM.

1. *Vi, seu injustè, & scienter se intrudens in beneficium curatum, ipso jure eo privatus est.*
2. *Ita ut quavis probabile quidem sit, & fortasse verum, quòd ad personam*